



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

De Metis Præscriptionis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

aliena attribui, non assentiente domino? Respon-
 deo: Cum priuatus dominus suas res negligit, lex
 fit talium rerum domina, sicut Deus inquit: Ter-
 ra mea est. Cum igitur lex sciat, oportere finem
 esse litium, & singulos scire oportere an suarum
 rerum domini sint, & iusti possessores, consulit
 communi paci, & conscientia possidentium. Alio-
 qui enim quisquis vellet, qualicunq; pretextu,
 turbaret veterem possessorem, vt tamen saepe fieri
 videmus. Haec cum ita lex sanxit Deus appro-
 bat, & non dubium est, praescriptione & acquiriti
 dominia, & res iuste possideri bona conscientia.

Responsio
 ad 7. q. 1. c. 1.

D E M E T I S P R A E S C R I
 P T I O N I S .

Sed leges scriptae circumdant metas praescri-
 ptioni, vbi valeat, quae si violentur, non recte ad
 commodatur nomen praescriptionis. Vt si quis al-
 terius vxorem, etiam ignorans habeat, nequam
 quam excusare scelus nomine praescriptionis po-
 test. Usitatum est autem in aliquibus malis, con-
 suetudine & diuturnitate temporis excusare pec-
 cata, vt nunc multi excusant profanationes Mis-
 sae & alios vitiosos cultus. Sed aeterna & immota
 regula tenenda est: Peccata non excusat diu-
 turnitas temporis, vt Ezech. 20. dicitur: In
 praecipis patrum vestrorum nolite ambulare.
 Ego Dominus Deus vester, In praecipis meis
 ambulate. *Thom. Aquin. 2. 2. q. 1. c. 1.* Scientia

Sciendum est igitur de præscriptione, conditio-
nes quatuor tenendas.

PRIMA, ut res talis sit quæ teneri præscriptio-
ne possit, quia peccato, res furtivæ, res attribuo-
tæ ministerio Evangelij, nec teneri præscriptio-
ne possunt, nec acquiri.

SECUNDA conditio, ut sit iustus titulus, vi-
delicet successio in hereditate, vel emtio, quæ sit
bona conscientia, vel donatio, ut emens pannum
mercator sine dolo, statuatur se verè dominum
scire & hoc dominium, & hanc possessionem à
Deo approbari.

TERTIA conditio, bona fides, id est, bona con-
scientia. Etsi autem hæc conditio correlativa se-
cundæ esse videtur, cum titulus iustus, potest
possessor habere bonam conscientiam, sed tamen
hæc restrictio complectitur & aliam, videlicet, ne
emense sit dolus. Possent enim emens scire, rem
esse furtivam aut sacram nesciente venditore.
Honestissimè igitur dictum est, ad præscriptio-
nem requiri bonam fidem, id est, bonam consci-
entiam, ne quid dolo agatur, & ne sit affectata
ignorantia. Nam particula BONA FIDES,
excludit multiplicia sophismata, sicut antiquum
solutum: Inter bonos benè agier. Item: In con-
tractibus bona fidei, quedam præstanda esse, quæ
non sunt nuncupata lingua.

QUARTA conditio, est possessionis continuatio sine interruptione legitima. Ut res mobilis triennio sine interpellatione legitima possessa sit. Res immota triginta annis sine legitima interpellatione possessa sit.

Quamquam autem, ut fit in negocijs voluntatum, quæ flexibilia sunt, multa subtiliter in hac materia disputantur, tamen his fontibus consideratis, præcipuæ quæstiones, quarum consideratio in communi vita necessaria est, iudicari possunt. Et unusquisq; Deo gratias agat, quod scit, quare bona conscientia & Deo approbante suas res teneat, quia Deus has legitimas ordinationes approbat.

FINIS.

IN QUINTVM
LIBRVM ETHICORVM
ARISTOTELIS.

CAPVT PRIMVM.



Uemadmodum Poeta scripserunt, Iusticiam fugientem ex ciuitatibus, diu postea in rure mansisse, & ibi inter cætus hominum meliorum præcepta rectè viuendi tradidisse: Ita hoc tempore fere undiq; ex imperijs pulsa, hæret vicinij